

**Dissertatio medica, inauguralis, de angina maligna quam... : Eruditorum examini subjicit / Nicholaus Sinnott.**

**Contributors**

Sinnott, Nicolaus  
Bland, R. 1730-1816.  
Merriman, Samuel, 1771-1852.  
University of Edinburgh.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1793.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/w3rj2tj5>

**Provider**

Royal College of Surgeons


**License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA MALIGNA.

---

---

LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF CHICAGO

35

ANDERSON MALL

---



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

ANGINA MALIGNA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

NICHOLAUS SINNOTT,

HIBERNUS,

Societat. Med. Dub. Soc.

Hib. Praef. Ann. &c.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

---

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,  
Academiae Typographos.

M, DCC, XCIII.

1800  
JACOBO SKETON M.D.

1801

1802

1803

1804

1805

1806

1807

1808

1809

1810

1811

1812

1813

1814

1815

1816

1817



MATRUELI SUO,  
JACOBO SKELTON, M. D.

APUD DROGHEDAM,  
ARTEM APOLLINEAM  
FELICITER EXERCENTI:

NEC NON

AMICO SUO,  
PATRICIO DILLON,

REGII CHIRURGORUM COLLEGII

DUBLINIENSIS SOCIO,  
ARTEMQUE CHIRURGICAM

DUBLINII,  
PROSPERE FACIENTI;

HOC OPUSCULUM,

D. D. CQUE.

AUCTOR.



DISSECTATIO MEDICA

IN AUSTRIAM

ANGINA MANTOVA

AMICORUM

THEOPHILUS

DE FINITIO

Cum in hac urbe

per hanc aegritudinem

tumore, rubore, et

albescens, et cunctis

signis, cum febre

maxime

et ceteris

et ceteris

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ANGINA MALIGNA.

---

---

Auct. N. SINNOTT.

---

---

DEFINITIO.

“ **C**YNANCHE (maligna) tonsillas et mem-  
“ branam faucium mucosam afficiens  
“ tumore, rubore, et crustis mucosis, coloris  
“ albescentis vel cineritii, serpentibus, et ulcera  
“ tegentibus; cum febre typhode et exanthe-  
“ matis \*.”

HIS.

\* Cull. Nosol. Method. Gen. X. Spec. ii.



DE ANGINA MALIGNA.

HISTORIA.

Hic morbus omni tempore, frequentius autem hyeme ac vere, occupat; omnis aetatis, omnis habitus homines, magis vero infantes, adolescentes, puellae, foeminae, quam adulti, pueri, virique, hujus impetui obnoxii sunt.

Incipit fere semper cum signis pyrexiae, et languore, lassitudine, cordis palpitatione, tali-que vertigine, qualis animi deliquium antecedit. Dolores totius corporis, praecipue capitis, vagi, anxietas, aegritudo, et vomitus, haec signa comitantur.

Mox collum rigescit; guttur molestia afficitur, et vox nonnihil rauca evadit. Facies pallescit vultusque contristatur et demittitur: Quavis illa nonnunquam in plenioribus rubescit, intumescit,



intumescit, et inflatur. Oculi concavi esse videntur, paulum inflammati, et, ut in rubeola, aquosi. Sub ipsum morbi initium, accedunt magna inquietudo, anxietas, proclivitas ad animi deliquium, animus insigniter demissus. Pulsus arteriarum, a principio usque, plerumque admodum celeres, parvuli, et nonnunquam tremuli sunt.

Ægrotus plerumque horis matutinis corripitur, et signa, noctem versus, magnopere ingravescent. Post somnum leviculum et perturbatum, sudor lenis mane versus prorumpit, qui signa quadantenus levat.

Brevi, a prima morbi accessione, tonsillae, uvula, et velum pendulum palati, plerumque nonnihil subrubicunda et tumida evadunt; sed deglutitio haud multum impeditur. Mox cum plures maculae, coloris albescentis, vel cineritii, conspiciuntur, quae quidem serpentes, totas pene fauces



fauces densis crustulis obtegent, hisque demum excidentibus, ulcuscula apparent.

Exanthemata, die secundo, vel aliquando fortius, in partibus corporis diversis, apparent. Haec faciem et cervicem primum occupant, et gradatim in corpus universum sese diffundunt, quod, aliqua ex parte, tumefactum esse videtur. Quatriduum fere perstare, et squamulis ex summa cute decidentibus, finiri observantur. Signa vero nil omnino neque ortu eorum, neque abitu, leniuntur.

In iis qui morbo gravissime laborant, nares intus sunt rubidi ac pene lividi coloris; exit quoque sanies tenuis, quae cutem vicinarum partium erodit; et nonnullis in exemplis, verisimilius est, aliquid hujus vitiosi humoris cum cibo in ventriculum deferri, eundemque illum ipsum, nec non intestina itidem, ut faciei cutem, afflicere. Hinc tales dejectiones nonnunquam sequuntur,



sequuntur, quae intestina quodammodo exulcerata indicant. Quinetiam partes circa anum aliquando cute admodum privantur.

Glandulae lymphaticae circa collum adeo interdum tument, ut suffocatio instare videatur; quod quidem fit ex acri materia absorpta, quae in fauces effunditur. Incisiones, tracheam et laryngem angina maligna laborantium, saepe eodem modo ac in cynanche tracheali, affici ostendunt; unde clar. Cull. censet, anginam malignam aegrotos miserandos, subitanam iis suffocationem inferendo, saepe consumere.

Species delirii singularis nonnunquam accedit; namque aeger aliquid interrogatus prudenter satis respondet, sed celeritate insolita; solus aliena loqui solet.

Spiritus odorem ingratum et nauseosum habet, qui, ad extremum, putridus adeoque foetidus



tidus evadit, ut aegroto ipsi propemodum intolerabilis sit.

Sanguis e naribus, et gingivis, per totum hujus morbi decursum, saepe profunditur, quod animi deliquium movet, et omnia morbi signa semper adauget.

Cum morbus fit levis, nonnulli primo die, plerique autem tertio, quarto, quintove convalescere incipiunt. Sudor lenis oritur, rubor cutis evanescit, ictus arteriarum tardiores et firmiores evadunt; tumor colli externus subsidit; crustae faucium exuuntur, et ulcuscula replentur; aeger imperturbatus dormit; tranquillus est, et appetentia cibi ei redire incipit.

Cum vero morbus infaustus sit futurus, omnia in pejus ruunt; anxietas et debilitas nunc usque intenduntur; ulcera faucium colorem lividum nigrumque sibi induunt; spiritus tam foetidus,



tidus, et nauseosus fit, ut aegroto vix tolerandus; sanguis e naribus et gingivis profluit; ictus arteriarum magis magisque debiles et irregulares evadunt; proclivitas ad gangraenam accedit, quae usque progreditur; signis diathesios putridae constanter incrementibus, aeger saepe tertio die, aliquando serius, fato concedit.

## D I A G N O S I S.

Auctores multum temporis triverunt, hunc morbum inter et scarlatinam, diagnosin facere; sed clar. Greg. utrosque in eadem familia grassari, et ab eadem contagione produci observans, hos gradu tantum differre nunc censit.

Hunc inter et cynanchen tonsillarem, discrimen facere necessarium est; quia in hac quoque crustae mucosae in faucibus nonnunquam apparent. Modo vero sequenti diagnosin fieri potest.



In illo anxietas multum urget, in hac vero nulla est. In illo iclus arteriarum frequentes, parvi-que, et magna debilitas in functionibus animalibus apparet; dum in hac pulsus sunt validi plenique, et functiones animales parum afficiuntur. Praeterea, exanthemata in illo secundo die, vel paulo serius, erumpunt; in hac autem nil tale accidit.

## CAUSA PRÆDISPONENS.

Huic morbo debilitatem favere bene notum est; et quoniam variae causae, quae praedisponentes vocantur, nempe, metus, ebrietas, vita sedentaria, Venus immodice culta, &c. debilitatem gignere inveniuntur, concludere fas est, has causas corpus proclivius reddere, debilitatem inducendo.

## CAUSA



## CAUSA EXCITANS.

De hac nil dicendum restat; nam ab omnibus conceditur, contagionem specificam esse causam hujus morbi excitantem.

Causam dare proximam in disputatiunculis hujusmodi mos est; sed, quoniam Professor Gregory monet, conjecturis medicorum de talibus causis parum esse fidendum, ipsius verba citare idoneum duco.

“ Causam vero proximam quod attinet, ipsa  
 “ ejus notio generalis, si non prorsus falsa, fal-  
 “ tem confusa admodum est et obscura, et te-  
 “ mere a rebus abstracta. Querunt enim me-  
 “ deci, et non facile inventientes, sibimet fin-  
 “ gunt aliquid causae omnis morbi, unde iste  
 “ morbus oriatur, eodem fere modo ac variae

“ mutationes vel effectus, quae in rebus inani-  
 “ matis observantur, a suis causis proveniunt.  
 “ In plerisque autem affectionum, quas morbos  
 “ vocare solemus, nihil istiusmodi existere vi-  
 “ detur, neque profecto existere potest; et talis  
 “ notio plane oritur a male intellecta natura,  
 “ tum corporis ipsius, tum quoque morborum  
 “ qui in eo fiunt. Morbus enim non est unus  
 “ et simplex eventus vel mutatio, qualem in re-  
 “ bus inanimatis contemplari solemus, et ef-  
 “ fectum vocare; sed series saepe longa talium  
 “ eventuum vel mutationum, quarum aliae aliis  
 “ causae videntur esse \*.”

### PROGNOSIS.

Æger in hoc morbo semper periculo ver-  
 fatur; sed plerumque prognosis fausta, vel in-  
 fausta est, prout signa leviora, vel graviora  
 sint.

Si

\* Gregorii Conspect. sect. 47.



Si aegrotus aetate senili, vel morbis antecedentibus, non fuisset exhaustus, si habitus corporis sit bonus, si ulcera faucium parum proclivitas ad putredinem ostendant, et si omnia signa febrilia sint levia, bonus eventus expectandus est. Contra autem, si ulcera livida sint, et magnam proclivitatem ad putredinem et gangraenam ostendant, si delirium, diarrhoea, et anxietas non modica superveniant, si respiratio difficilis sit, et spiritus tam foetidus ut vix tolerandus, si sanguis e naribus vel ore profluat, et deinceps si pulsus arteriarum debiles, parvuli, tremulique, summum periculum metuendum est.

### METHODUS MEDENDI.

Consilia medendi duo sunt; quorum

Primum est, aegri vires per morbi decursum  
sustentare,



sustentare, et sic proclivitati ad putredinem occurrere:

Secundum, signa molesta levare.

Quo respondeatur primo consilio, varia roborantia et stimulantia sunt usurpanda; inter omnia vero vinum, praecipue rubrum, et cinchona, primum locum obtinent.

Cullenus monuit, bonos effectus cinchonae fere solum ab ea, substantia largaque quantitate data, esse sperandos. In nonnullis tamen casibus, ventriculus eam substantia datam tolerare haud potest. Rebus ita se habentibus, forma infusi frigidi, vel decocti, cum tinctura ejusdem, adhibenda est.

Cum ventriculus aegroti adeo irritabilis sit, ut omnia cinchonae praeparata respuat, dosibus opii exiguis, haustibus salinis effervescentibus, vomitionem

vomitionem compescere conandum est. Si vero haec parum profint, forma enematis usurpari debet; quod effectus aequae bonos nonnunquam edit.

Vinum rubrum corpus adeo reficit atque roborat, eodemque tempore ventriculo tam gratum est, ut omnibus aliis anteferendum ducam. Quantitas, quae sumi debet, prout res postulent, major vel minor erit.

Inter remedia roborantia, aër purus jure habetur, cujus boni effectus a cel. Gregorio liniis sequentibus ornatè describuntur. “ Bonus enim  
 “ aër ipse, inter efficacissima roborantia remedia  
 “ jure habetur \* ;” et alibi ait idem, “ Corpus  
 “ reficiat atque refrigeret, vires fortasse multum  
 “ labefactas confirmet, cibi appetitum et con-  
 “ coctionem juvet, et putredini fortiter occurrat,  
 “ praesertim frigidulus. Purus praeterea aër  
 “ venenatam

\* Greg. Conspect. sect. 1117.



“ venenatam illam mephitim, quam fanissimi  
 “ etiam homines, et multo magis aegri, a pul-  
 “ mone et cute usque exhalant, aufert, et per  
 “ auras diffundit, donec tandem, deposita vi  
 “ sua pestifera, et ipsis et aliis innoxia fiat \*.”

Acida vegetabilia sunt valde utilia, antiseptica,  
 et aegro pergrata. Cum potu communi com-  
 mode dari possunt; sed caute, si adsit proclivitas  
 ad diarrhoeam, usurpanda sunt, quoniam eam  
 augere inveniuntur.

Acida quoque fossilia maximo cum fructu,  
 praesertim si adsit haemorrhagia, nonnunquam  
 exhibentur: Ex quibus vitriolicum maxime  
 eminet.

Remediis jam recensitis, quae ad vigorem  
 corporis sustinendum necessaria sunt; nunc ad  
 consilium

\* Greg. Conspect. sect. 1038.

consilium secundum, nempe signa molesta levare, progredior.

Ulcera in faucibus imprimis attentionem vindicant. Haec gargarismis astringentibus et detergentibus colluenda sunt. Sequentes fere in usu sunt, vinum rubrum cum aqua mixtum, infusum rosarum cum acido vitriolico, vel muriatico, decoctum cinchonae cum tinctura myrrhae, &c.

Vapores a substantiis antisepticis, ut myrrha, camphora, acidis, &c. orientes, pro remediis, hoc in morbo, habentur. Hi in os aegrotantis frequenter inhalandi sunt.

Si nausea sub initium morbi occurrat, emetica leniora magno cum beneficio adhiberi possunt; nam vomitio plena, antequam aegri vires exhauriuntur, multum prodesse invenitur. Si

vero



vero progrediente morbo accedat, summis viribus ei occurrendum est. In hunc finem haustus salinus effervescentes, haust. anod. &c. reddi solent.

Diarrhaea, quae nonnunquam aegrum vexat, opio, potione cretacea, gummi kino, catechu, vel enematis anodynis, compescenda est.

Quoniam proclivitas ad gangraenam, in hoc morbo, tanta est, ut mali effectus, ex usu epispasticorum, mituendi sunt, tumores, qui saepe in collo apparent, olio volatili oblinantur.

Stragula et vestimenta saepe mutanda sunt, ut accumulatione effluviolorum occurratur. Et alvus, enematis si opus sit, leniter movenda est, ne colluvies in intestinis accumuletur.

Diaeta e cibis concoctu facilibus potissimum

mum confletur, quales sunt, fructus aestivi, panada, fago, &c. Et, pro potu communi, vinum aqua mixtum, cerevisia tenuis, aqua hordea acidulata, et aliique potus acidi optime conveniunt.

F I N I S.



... of the ...  
... of the ...  
... of the ...

CONCLUSION

... of the ...  
... of the ...

... of the ...  
... of the ...

... of the ...  
... of the ...

... of the ...  
... of the ...